

tione, quod certum est esse morale, seu legis naturæ. Secundum est abstinendi ab immolatis; quod solum est prohibitum ab Apostolis quatenus fiebat in aliquem idolorum cultum. Sic enim dixit Paulus 1 ad Corinth. 10: *Quæ immolant gentes, dæmoniis immolant, et non Deo; nolo autem vos socios fieri dæmoniorum; non potestis calicem Domini bibere et calicem dæmoniorum; non potestis mensæ Domini participes esse et mensæ dæmoniorum*, etc. Alioqui vero comedere ex immolatis quasi materialiter (ut sic dicam) sicut per se malum non est, ita neque est prohibitum ab Apostolis; alias, etiam secluso scandalo et omni specie idololatriæ, non licuisset, ratione prohibitionis: contrarium autem docet Paulus in eodem loco 1 ad Cor. 10 et 8. Tertium est abstinendi a sanguine, quod non intelligitur de esu sanguinis, sed de effusione sanguinis, utique humani, quod præceptum etiam naturale est. Qui autem sic illud interpretantur, omittunt particulam *suffocatum*, quæ male posset ad interpretationem de homicidio accommodari; negant ergo esse ab Apostolis traditam, sed ab aliquo interprete per modum scholii adjunctam, et sic postea in textum græcum irrepsisse, et tandem a latino interprete retentam, unde illam particulam omittit Ambr. ad Galat. 2, dicens a sophistis Græcorum fuisse additam, licet expositionem non sequatur. Utrumque autem secutus est Tertullian. lib. de Pudic., cap. 12; et Cypr., lib. 3 ad Quirinum, cap. ultim.; et Iren., lib. 2, cap. 12; et Pacian. in Parenensis. de pœnitent.; August. etiam, lib. 32 contra Faustum, cap. 13, omittit particulam *suffocatum*, et refert expositionem de homicidio, eamque non refutat, licet alias adhibeat. Atque ita juxta hanc expositionem cessat difficultas, quia juxta illam nullum præceptum legale ab Apostolis revocatum est.

9. *Expenditur dicta expositio.* — In hac vero expositione, primum, quod de fornicatione dicit certissimum est; non enim prohibita est ab Apostolis, quia non esset mala per se et jure naturæ prohibita, sed quia vel gentes hoc ignorabant, vel pro nihilo ducebant, illamque consuetudinem habebant. Secundum autem, quod de immolatis dicitur, valde etiam probabile est. Nam esus immolatorum, si cesset omnis species falsæ religionis et omne scandalum, non est per se malus, et ideo si bona conscientia fieret, non erat malus, ut aperte supponit Apostolus in dictis locis ad Corinthios et ad Romanos 14, et ibi

exponit Augustinus suo cap. 78. Ideoque probabile est non fuisse ab Apostolis prohibita absolute idolothyta, sed solum quatenus esus illorum continebat cultum idolorum, vel speciem ejus, et scandalum parere poterat. Sic enim Cyprian., Tertullian. et Pacian., supra, illam prohibitionem declarant per idolorum cultum, vel sacrificium, aut participationem ejus; et Gaudent., tract. 15, qui est de Machabæis, ait prohibitionem esse factam ne redirent ad idola, et ne cibis diabolo sacrificatis profanarentur. Idem sentit Hieron. lib. 1 contra Jovinian., qui ita exponit, *ut abstineant se ab idololatria*. Idem legitur apud Augustinum in Speculo, cap. de Actibus Apostolorum; refert enim expositionem de idololatria, et non refellit, neque aliam ibi adjungit. Imo, lib. de Bono conjugali, dixit satius esse mori fame quam idolothytis vesci; quod est verum de naturali præcepto, nam de positivo non esset ita necessarium. Eandem expositionem sequitur Turrian., lib. 1 pro Canonibus Apostolorum, cap. 5 et 6. Non minus autem probabile videtur prædictos Patres solum dedisse occasionem seu rationem motivam illius præcepti ferendi, materiam autem generaliore fuisse. Nam quia scandalum erat frequens, et poterat redundare in ipsosmet recenter conversos ad fidem, paulatim illos inducendo ad idolorum honorem, ideo absolute et sine restrictione Apostoli esum immolatorum prohibuerunt, ut sonant verba præcepti, quæ restringere non est necesse. Quia hoc etiam modo præceptum erat morale, nullamque legalem cæremonialem continebat. Et licet esset positivum, poterat esse tunc expediens ita generaliter ferri propter infirmos et ignorantes, qui non facile possent occasiones scandali discernere. Cui sententiæ favet Leo Papa, Epistol. 77, alias 79, ad Nicetam, cap. 5, ubi sentit præceptum illud usque ad sua tempora durasse, et obligasse absolute ad abstinendum ab immolatis. Idem sumitur ex Concilio Aurelianiensi secundo, cap. 20, ubi idolorum cultus et uti cibis immolatis tanquam duo distincta prohibentur, et idem sumitur ex Concilio Gangrensi statim citando. Neque in Epistola ad Cor. Paulus illud præceptum revocavit, sed solum non promulgavit illud Corinthiis, ad quos post illam legem latam pervenit, ut patet Actorum 18, et multo post ad illos scripsit, ut ex eadem Epist., c. 2, notum est. Non promulgavit autem Corinthiis præceptum illud, vel quia non judicavit necessarium aut

opportunitatem, vel quia non erat pro illis latum, sed tantum pro Christianis Syriæ et Ciliciæ, ut sentiunt Salm., tract. quadragesimo-tertio in Acta, et Baron., anno Christi 51, in tom. 1.

10. *Quoad hanc partem refellitur dicta expositio.* — Tertium autem, quod de homicidio dicit illa expositio, probare non possumus. Primo, quia credimus particulam *suffocatum* pertinere ad textum Scripturæ, et positam fuisse in præcepto Apostolorum, habetur enim in græcis et latinis exemplaribus, et usu et traditione Ecclesiæ recepta est, et non parum confirmatur generali approbatione Concilii Tridentini, nullaque est ratio sufficiens ad repellendam illam vocem e textu sacro, et Patres etiam antiquissimi illam legunt, ut Clemens Papa, lib. 6 de Constit., cap. 12; et Hieronym., dicto lib. 1 contra Jovin.; Cyril. Hierosol., Catechesi 4; et Origen., lib. 8 contra Celsum; et indicat Tertullian. in Apologet., cap. 9. Secundo, quia multi eorum qui videntur eam particulam omittere, fatentur sub sanguine comprehendi; et Gaudentius exponit, *et a sanguine*, id est, *a suffocato*, et melius August., 32 contra Faustum, cap. 13, *a sanguine*, id est, *ne quidquam ederent carnis, cujus sanguis non esset effusus*; et idem sentit Tertullianus in Apologet., cap. 9. Supponunt ergo prohibitum ibi esse esum sanguinis, et consequenter esse prohibitum suffocatum, quia sanguinem in se continet.

11. *Confirmatur magis tradita doctrina.* — Tertio, ita fuit hoc præceptum in Ecclesia intellectum, ut sumitur ex Augustino et aliis Patribus citatis; et Euseb., 5 Histor., cap. 1, ubi refert Bibliidem Martyrem pro Christianis respondisse: *Quomodo ejusmodi viri liberos suos devorare in animum poterunt inducere, quibus ne licitum quidem sit sanguinem animalium ratione carentium comedere?* ubi de solo suffocato fit mentio; tamen sub illo sanguine comprehenditur, quia ratione sanguinis suffocatum prohibetur, ut dictum est. Extenditur autem prohibitio ad animalia bestiarum morsibus extincta, quia tanquam suffocata censentur, eo quod sanguis eorum non effundatur. Et idem habetur in Concilio Vormatiensi, canone 64 et 65, ubi etiam prohibentur aves retibus strangulatæ, propter eandem rationem: imo quædam alia ibi adduntur, quæ propria illius concilii lege non prohibentur, nec sub sanguine et suffocato, illo modo comprehenduntur. Denique, in Concilio Gangrensi illa tria *sanguis, suffocatum et immolatum idolis*, expresse nominantur tan-

quam prohibita: nam sine dubio hic est sensus illius canonis qui sic habet: *Si quis carnem edentem præter sanguinem et idolis immolatum, et suffocatum, cum religione et fide condemnat, etc., anathema sit*; ita enim dividenda sunt verba ut habentur in correctis conciliis, ut reddant sensum legitimum, qui est, esum carniæ esse licitum, excipi tamen illa tria. Et ita intellexerunt illum canonem scholastici omnes, qui in præsentem illum allegant, et Baronius supra.

12. Quarto denique, altera expositio de homicidio nimis est metaphorica, et præter vim verborum et contextus; nam eodem modo præcipitur abstinencia ab immolatis, et a suffocato et sanguine; abstinencia autem ab immolatis intelligitur ab esu illorum: ergo eodem modo intelligitur de sanguine et suffocato: nam materia est ejusdem rationis, et ideo non est simile de fornicatione, quæ est materia diversæ rationis. Accedit quod in hoc sensu prohibitus est sanguis, Genes. 9, et clarius multo in lege, Levit. 7 et 17, ubi consequenter prohibetur morticinium, vel captum a bestia, sub quibus comprehendebatur suffocatum: nam sub hoc nomine non invenitur in lege prohibitum. In canone autem 62 Apostolorum, declaratur prohibitionem illam factam esse ad quamdam legis imitationem. Est etiam illa expositio nimis voluntaria, ut recte argumentatur Ambros. supra, et indicat divus Thomas 1. 2, quæst. 103, art. 4, ad 3, quia nulla erat ratio specialiter prohibendi homicidium vel rapinam (quam, ut refert, alii sub nomine suffocati intelligebant); nam Gentiles etiam infideles non ignorabant hæc esse mala; nam inter ipsos etiam graviter puniebantur.

13. *Secunda expositio et vera responsio.* — *Ab objectionem responsio.* — *Ratio prohibitionis Apostolorum.* — Secunda ergo et vera responsio, est ibi esse datum positivum præceptum, illi tempori et regioni conveniens, quo prohibitus fuit esus sanguinis, et consequenter animalium omnium quæ sine sanguinis effusione moriuntur vel occiduntur. Quæ est communior sententia Patrum, ut vidimus. Et ad objectionem factam, respondent omnes illum cibum non fuisse prohibitum ratione legis veteris, nec quasi cogendo ad observantiam ejus, sed solum quasi imitando in aliquo legem antiquam, ut expresse significatur in dicto canone 62 Apostolorum. Hoc enim non est prohibitum in Ecclesia. Et quamvis regulariter fiat in solis præceptis judicialibus, po-

tuit ab Apostolis etiam fieri in aliqua observantia legali, quæ non continebat significationem futurorum, nec fortasse proprie ad cultum Dei pertinebat. Maxime quia sub diversa ratione et motivo prohibitio illa ab Apostolis facta est, sine ullo fere respectu ad veterem legem. Multiplex autem ratio illius præcepti assignatur a Patribus. Prima est moralis, ad frænandam gulam, et modestiam in cibis sumendis fidelibus commendandam. Ita Cyrillus Hierosolymit., catechesi 4, cap. de Cibis. Sed hoc D. Thomæ non placet, quia multa sunt alia quæ magis ad gulam provocant quam sanguis. Et quamvis lambere sanguinem animalium, vel devorare suffocata non cocta ferinum sit, ut ait Cyrillus, Apostoli autem non hoc tantum prohibuerunt, sed etiam hæc cocta et quocumque modo parata manducare, in quo non apparet tantus excessus gulæ, aut defectus modestiæ, ut propter eam solam causam debuerit prohiberi. Alii rationem reddunt, quia sanguis etiam et suffocatus in idololatriis gentium peculiari modo usurpabatur. Quam rationem indicant Origen. et Tertullian. supra, et D. Thom. 1. 2, quæst. 103, art. 6, ad 1, dicit fuisse consuetudinem Gentilium, ut adunarentur ad comedendum sanguinem coagulatum in honorem idolorum, quibus reputabant sanguinem acceptissimum esse, ideoque prohibitum fuisse a Deo esum sanguinis in lege veteri. Credibile ergo est durasse illum ritum gentilicum tempore Apostolorum, et ideo, sub illa ratione vitandi idololatriam vel ejus speciem, similem prohibitionem tradidisse: sub illa enim ratione præceptum morale erat, et non ceremoniale. Quæ ratio satis probabilis est, et eam recte locupletat Turrian. supra. Non est autem contemnenda ratio Augustini, lib. 32 contra Faust., cap. 13, dicentis *Apostolos elegisse rem facilem, et nequaquam observantibus onerosam, in qua cum Israelitis etiam gentes, propter angularem illum lapidem duos parietes in se condentem, aliquid communiter observarent.* Quam ita interpretandam censeo, nimirum, desiderasse Apostolos unire inter se duos illos populos, et impedimenta hujus unitatis, quantum pro tunc fieri poterat, auferre. Et quoniam ex antiqua consuetudine Judæis abominabilis erat esus sanguinis et suffocati (non solum ratione legis, sed etiam ratione antiquissimæ consuetudinis et traditionis a temporibus Noe), ideo Apostolos pro tunc illum prohibuisse Gentilibus conversis ad fidem, ut possent pacificum habere convictum

cum fidelibus ex Judæis conversis. Et hoc sequitur etiam Baronius supra.

14. *Objectio. — Responsio.* — Sed dicit fortasse aliquis has rationes intra breve tempus cessasse, et ideo, si illæ tantum fuissent fundamentum illius legis, intra idem tempus debuisse cessare legem illam, juxta illud generale principium, quod, cessante ratione legis, in universali cessat lex. Consequens autem non ita factum est; nam concilia allegata, quorum temporibus illud præceptum durabat, fuerunt multo post tempora Apostolorum, scilicet, trecentis, quingentis et octingentis annis post Christi adventum: ergo. Respondetur imprimis, concedendo non diu viguisse in Ecclesia illud præceptum: unde Salmeron existimat cessasse post quadraginta annos, seu post perfectam promulgationem Evangelii, quando legalia cœperunt esse mortifera. Quod est probabile, sed incertum, quia nec ex historiis nec ex Patribus id constat, et verisimile est rationes illius præcepti majori tempore durasse, dum imperatores fuerunt idololatræ, vel dum fideles mixti erant cum gentibus suos ritus profitentibus. Augustinus autem indicat suo tempore præceptum illud jam fuisse sublatum. Concilia ergo recentiora, ut sunt Aurelianense et Vormatiense, provincialia sunt, et fortasse propter peculiare rationes ad suas provincias pertinentes usum illum retinere voluerunt. Vel certe considerant rationem aliam, quam Augustinus tetigit, nimirum, simile præceptum abstinendi a sanguine datum esse, Gen. 9, ad vitandam crudelitatem, et ut magis detestarentur homines humanum sanguinem effundere, ut dixit D. Thom. 1. 2, q. 102, a. 3, ad 8, et a. 6, ad 1. Addit etiam Augustinus potuisse illud præceptum retineri in memoriam quod Deus hoc jusserit tempore Noe, ut per hoc admonerentur fideles Ecclesiam gentium fuisse in arca Noe præfiguratam, et illius facti prophetiam in gentibus ad fidem venientibus capisse impleri. Hæ igitur rationes vel aliæ magis morales potuerunt Patres illorum conciliorum movere ad præceptum illud renovandum, vel tanto tempore retinendum; jam vero in universa Ecclesia cessavit, ut constat.

15. *Lato modo sumpta coactio habet speciem mali, licet possit esse in individuo indifferens.* — Dico tertio: cogere gentes lato modo, id est, per inductionem aliquam, ut per importunam petitionem, vel alio simili modo, semper habuit speciem mali; in individuo autem potuit esse interdum malum, interdum indiffe-

rens. Hanc assertionem pono propter locum Pauli ad Galat. 2. Nam priorem partem indicat in principio, cum ait Titum Gentilium fuisse compulsum circumcidi, utique per importunitatem aliquorum fratrum, quibus (ait) *neque ad horam cessimus subjectione*, utique quia, ut minimum, id habebat speciem mali. Idem colligitur ex reprehensione Petri, quia exemplo suo cogebat Gentiles judaizare, ut statim refert. Imo etiam indicat illud factum Petri fuisse malum et reprehensibile. Sed nihilominus probatur secunda pars assertionis ex doctrina Augustini super eandem Epistolam supra citatam. Quia vel inductio erat ad illam observantiam ut necessariam, et sic erat mala, quia erat deceptoriam et contra libertatem Evangelii, vel erat ad illam ut voluntariam, et non prohibitam, et sic de se non erat mala, sed indifferens, secluso scandalo.

16. *Dubitatio. — Prima opinio Hieronymi.* — Statim vero occurrit communis difficultas circa intelligentiam illius dissensionis inter Petrum et Paulum, quæ, propter difficultatem et utilitatem suam, et quia in præsentia tractatur ab omnibus doctoribus, omitti non potest, quamvis per se necessaria non sit ad cessationem legalium explicandam, ut facile ex dictis patet. Difficultas ergo est an dissensio illa vere acciderit, vel ex composito simulata fuerit. Item si priori modo evenit, quid in eo facto Petrus peccaverit, et an Paulus caput suum reprehendendo excesserit. In qua difficultate Hieronymus supra sentit totum illud factum fuisse simulatum, quia non putat Petrum posse alio modo a peccato, etiam mortali, excusari, cum ex ejus sententia observatio legalium serio facta erat mortifera. Neque potuit Petrus per ignorantiam excusari, cum ipse fuisset auctor præcipuus decreti de libertate gentium ad fidem conversarum, et revelationem de ipsorum vocatione habuisset. At vero per simulatam dispensationem facile excusatur, quia omnia fecit animo et intentione proficiendi non solum Judæis, sed etiam gentibus; nam apparenter segregando se intendebat occasionem præbere non deceptioni gentium, sed instructioni potius Judæorum, media Pauli admonitione. Unde addit etiam Paulum non vere et ex animo reprehendisse Petrum, sed solum *secundum faciem*, id est, exterius, et in apparentia, et ex composito cum eodem Petro. Quæ sententia fuit antiquorum, quos ipse refert, præsertim Chrysostomi, quos alii supra citati secuti sunt. Moti autem sunt,

tum quia non est verisimile vel Petrum peccasse in materia adeo sibi nota, vel Paulum reprehendisse in Petro quod ipse sæpius fecit; tum etiam quia verba textus possunt facile ad hunc sensum accommodari.

17. *Augustini argumentum. — Responsio Hieronymi.* — Hic vero maxime urget Augustinus argumentum suum de mendacio, quia hinc non solum sequitur in facto simulato Petri inventum esse mendacium, sed etiam in verbis ipsius Pauli, et in Scriptura canonica mendacium reperiri, quod sine dubio esset magnum absurdum. Ideoque conatur Augustinus ad illud deducere prædictam sententiam; non quia existimaret illud admitti a Hieronymo, ut quidam putant, sed potius quia sciebat non esse a Hieronymo concedendum, et ita propter illud vitandum a sua sententia recederet. Nihilominus tamen Hieronymus tacite respondet negando sequelam; nam de simulatione facti supra jam ostensum est, potuisse esse materialem, et non formalem; in verbis autem Pauli non reperitur mendacium: nam ipse, referendo præteritum factum, nunquam dixit illa omnia quæ ibi intervenerunt fuisse ex animo, et absque simulatione facta, sed simpliciter retulit quod exterius factum est. Imo, cum dixit se restitisse Petro, indicavit non ex corde, sed *in facie* tantum, et in exteriori specie restitisse. Sicut 2 ad Corinth. 5 dicit *aliquos gloriari in facie, et non in corde*, id est, in apparentia operum, non in veritate. Et consequenter quod de Petro ait, *quia reprehensibilis erat*, potest cum eadem additione intelligi, scilicet, *in facie* seu in apparentia: eo vel maxime quod lectio græca non dicit esse reprehensibilem, sed reprehensum, utique ab aliis ignorantibus simulationem, qui propterea illum reprehensibilem existimabant.

18. *Solvitur reliqua pars argumenti.* — Denique quod Paulus ait: *Cum vidissem quod non recte ambularent ad veritatem Evangelii, dixi Cephæ coram omnibus, etc.*, non propter Petrum, sed propter alios potest intelligi fuisse verissime dictum: nam quod de aliqua multitudine dicitur, non est necesse ut singulis attribatur. Locutus est autem Paulus cum Petro potius quam cum aliis, non quia putaret illum non ambulare ad veritatem Evangelii, sed quia ita inter eos convenerat, et quia ita expediebat ad efficaciorum aliorum instructionem et correctionem. Denique vere etiam potuit Paulus dicere Petro: *Cur cogis gentes judaizare?* quia hic effectus vere sequebatur,

vel sequi poterat ex illa specie facti, licet simulate fieret. Excusabatur autem a culpa, quia, supposita conventionem facta inter utrumque Apostolum, nullum nocumentum sequi poterat ex illa apparenti coactione, quia statim erat adhibenda medicina per resistantiam Pauli, atque ita vitatur omne mendacium in Scriptura. Videndum vero superest an expositio sit accommodanda.

19. *Secunda sententia Augustini præferenda; totum illud factum simpliciter esse intelligendum.* — Quoad hanc ergo partem, maxime mihi probatur sententia Augustini docentis totum illud factum simpliciter esse intelligendum, prout littera ipsa sincere sumpta præ se fert. Quam sententiam secuti sunt etiam Anselm., D. Thomas, et fere alii recentiores in Paulum. Et pro eadem citat Augustinus Ambrosium et Cyprianum; et de Ambrosio id constat manifeste ex ejus commentario ad Galat. 2. Nam circa illa verba: *Cum autem venisset Petrus, etc.*, inquit: *Post concordiam societatis, et honorificentiam primatus, quam sibi invicem per gratiam Dei detulerunt, nunc interveniente causa negligentie vel erroris, dissidere inter se videntur Apostoli, non in propria causa, sed in sollicitudine Ecclesie.* Per quæ verba satis docet dissidium illud non ex compositione ficta, sed ex sollicitudine cum aliqua negligentia conjuncta ortam fuisse. Ideoque verbum *in facie* simpliciter explicat, id est, in præsentia, et licet legat *quia reprehensus erat*, statim addit, *a veritate Evangelica*: qui autem a veritate Evangelica reprehenditur, non fecte sed vere reprehensibilis est. Unde subjungit Paulum constanter improbase quod Petrus sine consilio fecerat, et hoc modo reliqua prosequitur, ut postea videbimus. Locum vero Cypriani non designat Augustinus, videtur tamen hoc significare in Epist. 71 ad Quintum fratrem, ubi, locum illum attingens, commendat modestiam Petri, qui non insolenter respondit allegando primatum: *Nec desepxit Paulum* (ait) *quod Ecclesia prius persecutor fuisset, sed consilium veritatis admisit, et rationi legitime, quam Paulus vindicabat, facile consensit, documentum, scilicet, nobis concordie et patientie tribuens.* Hoc autem exemplum et hæc laus Petri nulla fuisset, si ex composito et non vere Petrus fuisset reprehensus. Pottisset etiam Augustinus afferre Tertullian., lib. de Præscript., cap. 23, et lib. 4 contra Marcionem, cap. 3, ubi inter alia ait: *Si reprehensus fuit Petrus, utique conversationis*

*fuit vitium, non doctrine.* Quia vero Tertullianus eodem titulo repellere poterat, quo Augustinus excludit plures ex allegatis a Hieronymo, ideo illum omisit, quia in hæresim lapsus est, vel certe quia in ea sententia non est satis constans, sed varie loquitur. Pro eadem sententia referri potest Gregor., 28 Moralium, cap. 6, alias 12, ubi de Petro ait: *Per humilitatem cordis Pauli consilium audivit*, et expressius idem docet homilia 19 in Ezechielem; item Beda ad Galatas 2; et optime Rupertus, de Operibus Spiritus sancti, lib. 5, alias primo de Consil., toto cap. 14. Denique sententia hæc fere a modernis doctoribus recepta est, quorum aliquos paulo post referemus, et alios supra retulimus.

20. *Probatur primo.* — Probatur autem hæc sententia, primo, ex verborum proprietate, quæ sine causa necessaria relinquenda non est: hic autem nulla est causa; nam quæ movit Hieronymum, scilicet, quod legalia tunc erant mortifera, revera non subsistit, ut visum est. Eo vel maxime quod, si essent mortifera, vix aut nullo modo posset excusari culpa per talem simulationem, ut etiam ostensum est. Quod ergo Paulus ait: *Restitui ei in faciem*, sine dubio non significat in apparentia, vel in specie exteriori; sic enim Paulus suis verbis maxime enervaret suamet sententiam. Significat ergo idem quod in præsentia, et coram omnibus; sic enim ipsemet Apostolus paulo post declarat, dicens: *Dixi Cephæ coram omnibus*; et in aliis locis ita sumit particulam *in faciem*, ut 2 ad Corinth. 10: *Qui in facie quidem humilis sum inter vos*, id est, cum sum præsens vobis: nam statim subjungit: *Absens autem confido in vobis.* Particula ergo *in facie*, non dimittit proprietatem et energiam verbi resistendi, sed potius auget, ut resistantia facta sit facie ad faciem, ut sic dicam, et coram omnibus: ergo, salva sinceritate Scripturæ, non potest de simulata resistantia intelligi.

21. *Confirmatur.* — Et hoc etiam confirmat ratio subjuncta, *quia reprehensibilis erat.* Quam ideo Paulus reddidit, ut ostenderet justam fuisse resistantiam suam, et ideo plane significare voluit Petrum in illo facto fuisse reprehensione dignum; neque enim fuisset satis quod Petrus fuisset ab aliis reprehensus, ut a Paulo etiam reprehenderetur, nisi ipse fuisset reprehensione dignus. Unde vel vox græca non tantum significat actum, sed etiam potentiam, id est, non tantum reprehensum, sed etiam reprehensibilem, et melius hoc pos-

teriori modo vertitur; vel certe si altera lectio teneatur, magis accommodata est Ambrosii expositio, scilicet, quia veritas Evangelii Petrum reprehendebat, et consequenter reddebat illum reprehensibilem a Paulo. Atque ita videtur aperte se exponere Paulus in verbis sequentibus: *Cum vidissem quod non recte ambularent ad veritatem Evangelii.* Frivolum enim est hæc verba referre ad alios, et non ad Petrum; nam Paulus principaliter retulit factum Petri, alios vero inducit ut imitatores et sequaces illius, et postea indefinite ait: *Cum vidissem quod non recte ambularent*; ergo illa indefinita æquivalet universali, et omnes illa via ambulantes, et maxime duces illorum Petrum, comprehendit. Neque etiam fingi potest talia verba dicta esse per simulationem, quia verbum *videns* omnino illi repugnat. Nec denique cogitari potest Paulum deceptum fuisse in eo quod vidisse se affirmat. Igitur et verborum proprietas, et eorum contextus ac series, ac denique sinceritas sermonis hunc sensum maxime confirmant.

22. *Tandem confirmatur.* — Tandem potest addi conjectura sumpta ex occasione et intentione quam in historia narranda Paulus habuisse videtur. Hoc enim ibi agebat ut Galatas revocaret a falsa existimatione in quam inducti fuerant, quod tenerentur legem cum Evangelio servare, et ad hoc persuadendum induxerat collationem sui Evangelii factam cum Petro et aliis, et tacite commemorat definitionem factam in concilio Hierosolymitano, et addit constantiam quam habuit resistendo ne Titus circumcideretur tanquam legi subjectus, ut falsi fratres volebant. Postea vero, ad exaggerandam constantiam et firmitatem suam in illa doctrina, inducit historiam de facto Petri segregantis se, et de sua resistantia ac reprehensione. Quæ historia multum deservit intentioni Pauli, si illa omnia serio et vere facta sunt; si autem per simulationem omnia facta fuissent, parum prodesse ad fidem confirmandam, quia Paulus, simulando, confirmaret potius quam reprehenderet simulationem Petri, et virtute doceret non fuisse contradicendum Judæis, sed dissimulandum et condescendum cum illis volentibus cogere Gentiles ad legem servandam; hoc autem dicere valde esset absurdum; ergo rectius intelligitur bellum illud et quasi dissensionem inter Apostolos per humanam conditionem serio contigisse, et non ex composito fictam fuisse. Unde recte Philo, Carpathiorum Epis-

copus, in Cant. Cantic., circa illa verba: *Filii matris meæ pugnaverunt contra me*, ait *sapientissimos celestis regis bellatores sanctam atque honestam pugnam fecisse; et in illo loco, Paulum pugnasse propter Christum et fidelium ædificium, talemque pugnam et pacificam et sanctissimam fuisse.*

23. *Quantum peccavit Petrus in illo facto.* — Augustinus indicat fuisse mortale. — *Certum est Petrum non mortaliter peccasse.* — *Fundamentum.* — *Alii aiunt Petrum non peccasse.* — Ut autem difficultati propositæ et fundamentis Hieronymi satisfaciamus, oportet exponere quid et quantum peccaverit Petrus in illo facto, ut propterea vere ac merito reprehensibilis dicatur, et deinde constabit an recte egerit Paulus illi resistendo ac vere reprehendendo. In hoc enim puncto excedere interdum videtur Augustinus accusando illud factum Petri. Nam in lib. de Agon. Christian., cap. 30, sic scribit: *Debet Ecclesia Catholica correctis et pietate firmatis filiis libenter ignoscere, cum ipsi Petro personam ejus gestanti, et cum in mari titubasset, et cum Dominum carnaliter a passione revocasset, et cum aurem servi gladio præscidisset, et cum ipsum Dominum ter negasset, et cum in simulationem superstitiosam postea lapsus esset, videamus veniam esse concessam.* Ubi multis modis indicat Augustinus illam culpam fuisse mortalem, tum numerando illam inter graviora peccata Petri; tum ex genere delicti, *simulationem superstitiosam* vocando, quam iterum infra vocat *pravam simulationem*; tum denique ita exaggerando veniam talis culpæ. Divus etiam Gregorius, dicta homil. 18, in Ezech., videtur ad hanc sententiam accedere, dicens illam non solum fuisse culpam, sed, quod magis est, *hypocrisim*, quæ verba imitatus est Anselm. ad Galat. 2. Certum autem esse debet Petrum non peccasse mortaliter in illo facto, sicut de illo docent omnes scholastici, D. Thom. 1. 2, quæst. 103, art. 4 ad 2, et ibi moderni omnes, et antiquiores in 4, dist. 3, quos supra cap. 17 retuli cum aliis expositoribus Pauli. Et fundamentum est, quia omnes Apostoli creduntur confirmati in gratia in die Pentecostes, ut supra cum D. Thoma dixi, ex communi sensu Ecclesie; ergo maxime Petrus. Item probari potest sufficienter, quia nec ex verbis Pauli, neque ex materia de qua agebatur, colligi potest tam grave peccatum, ut ex dicendis constabit. D. Thomas autem, et qui post illum allegati sunt, concedunt Petrum peccasse venialiter, quia hoc necessarium saltem est ut